



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Ius ad honorem magni, honorem ipsum parui faciendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

vidit iam se diuino dumtaxat, sed etiam humano auxilio indigere. Custodia igitur illi schola fuit humilitatis, quam nisi didicisset, ligatis manibus & pedibus in carcerem æternum mittendus erat, quod ex quorundam sententia (licet nonnulli salutem eius in dubio relinquunt) Asæ regi plagis inemendato euenit. De quo legimus: *Agrotauit Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormiuitq; cum patribus suis. Nequaquam autem credibile est, eum cum patribus ad limbū abijisse. Debebat namq; Dominum querere in infirmitate sua: idcirco enim immittit Dominus hominibus infirmitates, vt cum sua culpa infirmantur, diuinæ opis imploratione fiant fortiores.*

CAPVT XXXIX.

Sapientissimos quosq; tam Ethnicorum, quàm Christianorum, sponte honorem fugisse, aut reliquisse.

I.



Sque adeò iustas Deus inuenit causas, ob quas hominibus honores neget, auferat, in ignomiam conuertat, siue ita mereantur, siue digni sint laude, vt ipsi etiam homines, si sapiant, ista mundi vana magis, quàm splendida ornamenta suspecta habeant, contempnant, fugiant. *Tolle iactantiam*, ait S. Augustinus, *& omnes homines, quid sunt nisi homines? Quod si peruersitas seculi admitteret, vt honoratiores essent quique meliores: nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus.* Huius tamen fumi, hoc est, honoris, famæ, laudis, gloriæ, tamquam boni cuiusdã externi, dominium est quoddã, non quasi homo sit dominus notitiæ, quam alius de illo format, sed quòd quantum quidem ad famam attinet, sit dominus illius dignitatis moralis, qua idoneus est in aliorum mentibus bonam sui æstimationem, aut saltem non malam fundare, & immunitatem habere, ne alius possit malam de ipso opinionem formare. Quod autem ad honorem attinet, homo est dominus iuris ad immunitatem, ne inhonoretur. Hoc ius ad famam & honorem etsi maximi sit faciendum, tamen honor ipse tamquam fumus à plurimis non est maximi factus, sed spretus, & contemptus. Quod cum etiam in Ethnicis possit ostendi, tamen maximè eluxit in Christianis, In.

S. Augustin.
lib 5. de ci-
uit. c. 17.

S Thom. 2. 2.
q 64. a. 5. ad
3. & q 73. a. 4.
ad J. Molin.
tract. 4 de
iust. d 2 Less.
l. 2 de vit.
cap 5. n. 59.
Illefonus
Messia l. 2. de
vera & falsa
glox c. 16.